



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digresso 28. De procreatrice facultate, ad tex. com. 59.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

guere & explicare ea, quæ ab alimento nominan- A tur. Hæc tria sunt, id quod alitur, id quo alitur, & id quod alit. Id quod alitur, est corpus, quod anima præditum est: totum scilicet viuens, cuius absumptam substantiam resarcire oportet ac nutritione conseruare. Id, quo alitur, est alimentum. Quibus verbis exposuit id, quod in superiori textu dixerat, alimentum ad hanc operationem præparare: nimirum tamquàm illius obiectum & materia, vt eo loco interpretatus sum. Id demum, quod alit, est prima anima: hoc est anima vegetans, quæ omnium prima est, vt verè inquit S. Thomas & potest esse sine aliis, alix autem non sine illa: aut prima facultas animæ, quæ est alitrix, vt malunt Philoponus & Simplicius: aut demum, quemadmodum placet Aueroi, anima est prima nutritionis causa, hoc est causa præcipua & natura prior facultate illa altrice, quam etiam dixit esse principium illius operationis immediatum: aut etiam comparatione caloris, quem in tex. 41. nutritionis & accretionis causam esse concessit: non tamen causam primam; sed hanc esse animam, calorem autem concausam & velut animæ instrumentum.

*Triana
nutritionis
efficientis
sua.*

Itaque tria omnino sunt efficiencia nutritionis principia. Anima, tamquàm primum ac præcipuum principium; facultas alitrix, tamquàm immediatum, per quod anima operatur: calor, velut vtriusque instrumentum; de quo non multò post dicitur.

TEXTVS.

Ἐπι τῷ ἀπὸ τοῦ τῆς ἀνατολῆς πρὸς τὸν δύτικον τῆς γῆς ἢ τὸ γινώσκον οἶον αὐτὸ. ἐν αὐτῷ ἡ πρώτη φύσις γινώσκουσα, οἶον αὐτὸ.

Quoniam autem à fine appellare omnia æquum: finis autem procreare quale ipsam: fuerit vti que prima anima procreatrix quale ipsam.

COMMENTARIVS LIX.

EGidius Aristotelem existimauit duas vegetantis animæ definitiones exposuisse: alteram in tex. 48. per nutrientem facultatem: alteram hoc loco per facultatem gignentem. Verùm in tex. 48. non fuit definita anima, sed animæ facultas nutriens: & idè eam non appellauit animam, sed animæ principium & facultatem. Ex qua definitione aliarum item facultatum, alitricis & genitricis, colligi definitiones voluit. Atque hoc loco post traditam facultatum definitionem voluit ipsam vegetantem animam definire, quæ illarum principium est & origo. Quare vt operationes per obiectum definiuit, & rursum per operationem facultates: alitricem inquiring facultatem eam esse, quæ conseruat viuens quatenus tale est: sic animam per facultates definit. At quoniam gignere sibi simile perfectissima est huius animæ operatio, & idè veluti cæterarum finis: genitrix quoque facultas perfectissima omnium & reliquarum finis censenda est: qua viuens, postquàm in se perfectum fuerit, in aliud perfectionem suam effundit. Propterea per

eam potissimum definiuit hanc animam. Æquum est enim singula, præsertim naturalia, & ea quæ propter operationem instituta sunt, quemadmodum anima cum suis facultatibus, nominare à fine atque per illum definire, quoniam finis præcipua est & prima causarum omnium, immò causarum causarum cuius causa sunt omnia & à qua omnia pendunt. Itaque primam animam, hoc est vegetantem definiuit eam esse, quæ gignendi sibi simile in specie vim habet.

Fuerunt verò complures, qui hunc locum ita interpretati sunt; vt planè affirmarent genitricem facultatem ita esse reliquarum finem, vt nutritrix & alitrix propter illam viuentibus tributa fuerit. In qua sententia fuerunt Philoponus in expositione tex. 19. & 42. & Auerois hoc loco; planè affirmantes nutritionem datam esse propter accretionem, accretionemque propter procreationem: vt postquàm viuentia crescendo facta essent perfecta, possent aliud procreare. Ego tamen secus sentio, atque harum facultatum vnamquamque per se & propter suam operationem tributam fuisse confido. Et Philoponus ipse, dum tex. 31. exponit, multa esse animalia fatetur, quæ genitricem careant facultate, vt vermes, & quæ ex putredine nascuntur: Complures item herbas, quæ sponte oriuntur, vulgum ferre semen: quæ tamen omnia & nutriuntur & augentur. Vis enim nutriendi eum finem habet propositum, vt consumptam substantiam restituerando conseruet indiuiduum, quemadmodum in tex. 48. apertis verbis legimus. Vis augendi, vtilitatem ipsum perficiat, vt quàm optime operari possit. Vis demum gignendi, vt alterius similis procreatione species ea conseruetur, cuius indiuidua omnia caduca sunt.

Quocirca si hoc loco gignere sibi simile dicitur esse finis: præter quàm quod non nutritionis & accretionis, sed vegetantis animæ finis esse affirmatur: finem propterea Philosophus appellauit, quod vltima sit & perfectissima operatio; & idè videtur esse velut finis, quia præstantissimum quidpiam, optimum, & postremum significat; quo acquirito motus omnis intermittatur, quæscatque natura. Sic enim vegetans anima, postquàm sibi simile produxit, nil habet amplius, quod agat. Atque ita hunc locum interpretari visus est Alexander in 1. lib. de anima cap. 9.

DIGRESSIO XXVIII.
De facultate procreatrice.

Tertia vegetantis animæ facultas procreatrix est. Hæc in plantis inest & animalibus. nam & planta plantam, & animal procreat animal. Totæ speciei conseruationem procurat; atque in illud incumbit sedulo, vt quemadmodum est in tex. 34. sempiternitatem atque æternitatem Dei quoquo modo assequatur. Separate mentes cælestique corpora, vt ab omni interitu libera sunt, quod aut materia aut certè contradictionis potestate, priuatione, & contrariis careant: sic æternitatem illam indiuidui sui sempiternitate perfectissime æmulantur; nec vlla opus est illis procreatione. Sublunaria omnia, quæ materiam habent, atque priuationem, & contraria; quemadmodum oriuntur, ita & occidunt. Huic caducitati tribus modis natura prouidit. Primum in se delictio procreantur ac studio

ac studio conservandi seipsum, quamdiu potest. Deinde virtute resistendi contrariis, in illaque agendi; ut ita quam diutissime tuerentur seipsa. Tum vero facultate sibi simile procreandis; ut si in individuo non possent, in specie saltem primæ causæ æternitatem imitarentur: ut in tex. 59. posterioris libri de ortu & interitu; & luculentius in cap. 1. lib. 2. de animalium procreatione traditum est. Sapientis cuiusdam vrbis conditoris exemplo (inquit Galenus lib. 14. de usu partium cap. 2.) qui non id modo agit, ut urbem suam in præsens tantum tempus populo frequenter; sed prouideret, quo pacto in omne tempus aut saltem diutissime ciuitas conseruetur. Nulla tamen floruisse aded memoratur, ut non dies ipsa conditoris memoriam deleuerit. Naturæ vero opificium multis annorum millibus iam constitit atque in posterum stabit. Nam mirabilem quandam rationem inuenit, qua in demortui animalis locum nouum aliud sufficiat. Itaque semen adhibetur vel instrumentum, aut etiam procreationis materia: ut ex illo illiusque virtute atque operatione aliud quidpiam producat, in quo post procreantis interitum natura conseruetur incolumis.

Itaque nil aliud fuerit procreatio, quam origo seu processio vnus ab altero secundum similitudinem naturæ. Quò fit, ut gignens & genitum oporteat esse distincta. Tum quòd nihil seipsum gignit, sed conseruat textu 47. Tum quòd cum actiones sint suppositorum, ut est in præmio librorum metaph. Multò magis procreatio, quæ non nisi perfectorum esse dicitur in tex. 34. huius lib. vtrumque suppositum postulat; & quidem alterum ab altero distinctum. Tum vero quia virtute feminis à gignente decisi noua producit forma à gignentis forma diuersa. Neque enim id, quòd gignit, suam ipsam formam eandem numero largitur genito: sed feminis tanquam propria virtutis effusione aliam sibi similem producit. Quoniam tamen procreatio fit cum naturæ similitudine, illiusque conseruatio procuratur: si vniuersam procreationis vim & rationem consideres; in ea non est necessaria, ut suppositorum, sic naturæ distinctio in gignente & genito: sed vnitas potius, aut certe similitudo: cum propter illius conseruationem fiat, eademque gignentis natura genito tribuatur. Quapropter quò maior fuerit vnitas & similitudo naturæ, seruata suppositorum distinctio; eò perfectior fuerit generatio. Animalium procreatio potissimum fit feminis effusione ab vno animali, & susceptione in altero, cum quo aliqua sit agentis & patientis aut etiam adiuantis vel certe susceptum semen conseruantis & fouentis proportio. Hæc aut est inter duo eiusdem speciei animalia; aut inter ea, quæ diuersæ speciei sunt. Si enim nulla sit proportio, nec vlla fuerit procreatio si specie differant, omonyma procreatio censetur; nec satis propriè nominatur: quoniam ab vnitate ac similitudine naturæ recedit plurimum, dum tertia inter illas media species producit, in qua generis solum vnitas & similitudo seruatur, speciei verò & indiuiduorum diuersitas est: et si equus non

gignat equum, nec asinus asinum; dum tamen vterque procreat mulum, sanè animal producit animal. Perfectior ea iudicatur & synonyma dicitur; quæ in eadem specie versatur: quoniam maior vnitas est & similitudo cum sola indiuiduorum diuersitate. In quo genere perfectissima illa censetur, quæ præter naturæ vnitatem accidentium quoque similitudinem retinet, si filius omnino similis patri euadat. Imperfecta verò, si dissimilis: præsertim si fuerit monstrum.

Iam si in viuente quopiam gignendi vis & instrumentum idem prorsus essent cum gignente: neque illud opus haberet femine, sed immediate posset totam suam naturam alteri communicare: nimirum summa in eo conseruaretur naturæ vnitas atque identitas; nec alia esset, quàm suppositorum, diuersitas. At creaturarum rerum conditio inferior est. Quoniam cum finitam habeant & limitatam naturam, nequeunt illam eandem numero alteri supposito communicare. Verùm id solum assequuntur, in quo summum vnitatis atque identitatis studium testantur; ut eandem partialiter saltem decissam communicent: dum materia partem sibi minus necessariam tribuunt, in qua virtutem suam collocant, qua formam aliam naturæ suæ persimilem producant: atque ita quàm maxime possunt vnitatem & identitatem naturæ tueantur. Et si dissimile quidpiam gignant, aut id ex virtutis imbecillitate proueniat; aut ex imperfectione, minorque proportionem agentis & patientis; aut ex materia defectu vel redundantia; aut ex aliis impediens causis. In diuina sola generatione seruatur eadem numero natura gignentis & geniti, cum sola suppositorum diuersitate.

Ex quo intelligas, generationem vniuersè sumptam processioem solam significare vnus suppositi ab alio; qua vnus ab alio eiusdem vel similis naturæ gignatur. Estque simpliciter perfectio quædam in ente absque imperfectione vlla: immo cum summa perfectione, quam naturæ communicatio significat, absque communicantis detrimento. & Aristoteles perfectorum propriam operationem esse dixit. Propterea non in inferioribus modo & caducis rebus; sed in Deo quoque reperitur: alio tamen atque alio modo. nam in Deo ex sola naturæ fecunditate oritur; nec supplet quidquam, aut detrahit: nimirum propter naturæ illius infinitatem. At in inferioribus rebus, quæ finita sunt, tum ad supplendum naturæ defectum labentemque naturam renouandam spectat; tum aliquam habet gignentis iacturam.

Deinde cum inferiorum generatio perfectio quædam sit, qua separatas mentes superant: sed ad supplendum naturæ defectum referatur; qua in re ab illis superatur: vtrumque in Deo absque vlla imperfectione reperitur. Quia non propter naturæ defectum, sed ex sola illius fecunditate gignit. Tum vero inferiorum procreatio est actio transiens; quæ cum in patiente subiecto re ab agente distincto suscipiatur, re quoque à gignente distinguitur, quidpiamque re ab eo distinctum producit. At generatio diuina, cum intellectus actione perficiatur, actio est immanens: actioque immanens in agente remanet, nec ab eo necessariò distinguitur; neque

In Deo
verè esse
genera-
tionem.

Procrea-
tionis
notio
qua.

opus est aliquid ab eo diuersum producat, sed eandem potest communicare virtutem: quæ si sit agentis substantia, eadem agentis substantia communicabitur. Ergo cum in Deo gignendi virtus & generatio sint idem, tum inter se, tum cum essentia & natura diuina; eandem numero essentiam & naturam communicat genito; suntque idem prorsus gignendi virtus, generatio, diuina essentia, & generationis terminus. Nam cum actio sit idem re cum forma, quæ producitur; actioque immanens idem cum suo principio quo: consequens est diuinam generationem idem esse cum termino & cum principio, eandemque numero patris ac filij naturam: manente tamen suppositorum distinctione in omni generatione necessaria. Quocirca etsi natura lumine cogitare non possit generationem ullam, quæ eadem numero gignentis natura cum sola suppositorum distinctione genito tribuatur: si tamen reperiretur, omnium esset perfectissima; quia cum gignentis & geniti distinctione summa esset & perfectissima natura vnitas. Re ipsa verò eam in Deo reperiri; nullamque implicationem, sed perfectionem maximam continere; certissima religione cognoscimus: rationemque formalem generationis vniuersè spectatè intelligimus nequaquam includere mutationem, sed originem solam vnus ab alio, abstrahentem ab omni mutatione. In diuina enim illa generatione nulla mutatio: quia nihil fit, quod antea non esset.

In generationibus tamen inferiorum adest semper mutatio. Tum quia cum rem totam producere nequeant; subiecti oportet subiectum aliquod, quod ab vno termino ad alterum transeat. Tum quia etsi essentia communicabiles sint, solumque suppositum conditione sua incommunicabile: creatæ tamen naturæ, quia finita est, repugnat eandem numero alteri communicari: quia non potest terminos suos excedere, quibus in illo indiuiduo est constituta. Quòd si actu existens abstraheret ab hoc termino, communicare se posset. Propterea enim natura ab indiuiduo abstracta, quòd abstrahat à termino, in infinitum communicabilis est; quòque magis abstrahitur, magis communicari potest: & genus pluribus, quam species, communicatur: natura numerica, quòd sit summè determinata, limitata, & quasi ligata, nulli alteri communicare se potest. In Deo potest, quòd natura illa in persona patris est planè infinita & illimitata. Et ideo generatio illa mutatione caret: tum quia eadem numero patris natura communicatur filio, neque fit de nouo: tum quia nulla ibi materia, nec transitus à non esse ad esse; cum sit æterna.

Duo in generatione terminorum genera.

Triplex in generatione.

Hinc verò illud etiam erit manifestum; In inferiorum naturarum generationibus duo prorsus terminorum genera reperiri: vnum, quatenus est generatio: alterum, quatenus adiunctam habet mutationem. Vt est generatio, conuenit illi solum terminus ad quem; suppositum, quod gignitur. Generatio enim vniuersè spectatæ, vt abstrahit à mutatione, sic abstrahit quoque à priuatione & termino à quo. Vt autem fit cum mutatione, terminum habet à quo & ad quem, priuationem, & formam. Quare triplex in ea tran-

situs consideratur: primus est processio geniti à gignente: alter subiecti à non esse ad esse, à priuatione ad formam: tertius formæ à potestate ad actum. Triplex item influxus: vnus gignentis, alter materiæ, tertius formæ. Primus actiuus, alter passiuus, tertius formalis. Quare imperfectissima sunt eiusmodi generationes: quoniam gignens non dat totum esse; sed materiæ supponit, quæ simul cum illo influit, tum ad effectus constitutionem, tum etiam ad educationem formæ. At generatio diuina est omnino ex parte perfectissima, cum nec eget præesistente subiecto, à quo iuuetur; nec partem solum, sed totum planè esse tribuat ei, quod gignitur. Atque vt est sine mutatione, sic posterius illud terminorum genus, priuationis & formæ, non admittit. Ac demum cum sit æterna, omni caret influxu & causalitate; solamque habet rationem principij & originis vnus ab alio.

Altissimam hanc & admirabilissimam generationem cum non possit Philosophus solo natura lumine assequi, solasque intueretur sublimes res procreationes, quæ semper cum mutatione perhærentur: optimè sanè definiuit in tex. 23. prioris lib. de ortu & interitu, generationem vniuersè spectatam totius in totum mutationem esse: & nustum in lib. de iuuent. & senect. cap. 14. viuentium propriam procreationem esse primam nutritiuam animæ cum calido participationem. Sic enim in omnibus sublunariis habet. Ex dictis autem satis perspicuum est, quid sit tum vniuersè, tum in specie, procreatio hæc, quæ viuentium propria existimatur. Ea però in plantis feminis à planta geniti atque in terram proiectiuo satis absoluitur. In animalibus autem, perfectioribus præsertim, tria poltuler: sexuum diuersitatem, eorumdem amplexum & congressum, ac demum materiam quamquam vtrinque suppeditatam. Itaque totius operis explicatio quatuor omnino capitibus continetur. Primum enim de duplici sexu, maris & feminæ, in hoc opere prius necessario dicendum est. Deinde de maris semine, feminæque mestruo sanguine; quibus vtrinque, quòd moluitur, absoluitur. Tum de vtriusque ad procreandum concursu. Ad extremum de fetus in vtero formatione, tamquam admirabilis operis molitione. Sed cum de primo capite dictum sit in libro de animati corporis temperatione, de reliquis dicendum superest.

DE SEMINE, MENSTRVO QVE sanguine.

Sicut semen dicas, sine genituram, perinde est. Nam & mei patris, de genitura, scripsit Hippocrates, & mei subleuato, de semine Galenus; & ille genituram passim appellat *ovis*; & Aristoteles in primo de an: ortu cap. 18. genituram dixit id esse, quod à generante proueniens causa est, quæ prius obtineat generationis principium. Hoc ipsum autem est semine: et si magis viderit is ens perfectum ex duobus principis maris & feminæ significare. Illud igitur statim in religendo semen excrementum esse quoddam sanguinis, nutritioni superfluum atque ex nutritionis reliquiis genitum.